*MASTER NEGATIVE*
*NO. 93-81518-8*

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

# COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

*AUTHOR:*

LINDENKOHL,
GEORGIUS STEPH.

*TITLE:*

DE PETRI ABAELARDI
LIBRO SIC ET NON...

*PLACE:*

MARPURGI CATTORUM

*DATE:*

1851

Master Negative #
93-81518-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

**BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET**

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


189 Abl Lindenkohl, Georg Stephan.
DB De Petri Abaelardi libro Sic
et non commentatio.
Marburgi Cattorum 1851. O. 35 p.
Doctor's dissertation at Marburg
(Ger.) university.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/24/93 INITIALS PF
FILMED BY: Research Publications


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
Inches
1 2 3 4 5
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

# PETRI ABAELARDI

## LIBRO

# SIC ET NON

COMMENTATIO.

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS**

QUAM

**AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINI**

AD SUMMOS

**IN PHILOSOPHIA HONORES**

RITE CAPESSENDOS

OFFERT

**GEORGIUS STEPH. LINDENKOHL,**

HASSO-DENNHUSANUS,

V. D. M., SEMINARII THEOL. PHILIPPINI MAIOR.

---

**MARBURGI CATTORUM.**

TYPIS ELWERTI ACADEMICIS.

MDCCCLI.

VIRO SUMME VENERABILI

# ERNESTO LUDOV. THEOD. HENKE

THEOL. ET PHIL. DOCTORI, THEOL. PROFESSORI PUBL. ORD.,
SEMINARII THEOL. PHILIPPINI EPHORO, BIBLIOTHECAE
ACAD. PRAEFECTO, REL.

D. D. D.

AUCTOR.

Eximiae illae laudes, quibus Petrum Abaelardum philosophum aequales celebrabant, quippe cujus famam nemo regum aut philosophorum exaequare potuerit [1], cui a Petro Venerabili hoc scriptum est epitaphium:

„Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum
Noster Aristoteles, logicis quicunque fuerunt
Aut par, aut melior; studiorum cognitus orbi
Princeps, ingenio varius, subtilis et acer;
Omnia vi superans rationis et arte loquendi
Abaelardus erat"; etc.

et alterum:

„Cui soli patuit scibile quicquid erat";

et illud:

„Summorum major Petrus Abaelardus
Occidit, immanis factus dolor omnibus unus.
Gallia nil habuit majus nec clarius isto [2]";

philosophis nostrae aetatis, qui ponderaverunt atque accuratius examinaverunt libros ejus philosophicos, nimiae esse visae sunt. At dum philosophi de plausu et admiratione ejus nonnihil detrahunt, multi theologi recentiores, opera Abaelardi theologica perscrutati, a majorum asperitate longe

---

1) Epist. Heloissae in Abael. opp. ed. Cousin I, 76.
2) Opp. Abael. I, 717. 718.

recedunt, eumque multimodis diffamatum, et calamitates ejus magis ex ipsius arrogantia et superbia et adversariorum, imprimis ex S. Bernardi, quem zelotypum dixit Otto Frisingensis, fervore, quam ex ipsa doctrinae indole derivandas esse censent. Utrosque ne nimium ab Abaelardo exigerent atque exspectarent neve vehementius in eum inveherentur scripta ejus monuerunt nunc omnia fere detecta. Quum vero de Abaelardi doctrina tam philosophica quam theologica disputare post doctissimos tot tantorumque virorum eruditissimorum libros mihi esset Iliadem scribere post Homerum, in illum potissimum librum Sic et Non, qui nostra aetate et nostro auxilio [1]) publici juris est factus, paucis inquisivisse atque de hoc libro quaestiones nonnullas adhuc vix tractatas instituisse sufficiat.

Hic liber inter Abaelardi scripta magnam habet vim atque auctoritatem; primus enim et unus disjecta theologiae Abaelardeae membra in unum quasi corpus collecta nobis exhibet; hic liber rationem nos docet, qua Abaelardus theologiam professus sit, praesidia, quibus paratus ceteros libros suos composuerit; hoc ipso libro cognoscimus, quod saepius homines Abaelardo infesti atque inimici magis conjectura arbitriove quam diligenti librorum perscrutatione adducti falsae doctrinae crimen in eum finxerint. Jam Guilielmus St. Theodorici abbas, qui solus inter mediae aetatis scriptores, quantum nunc scimus, libri Sic et Non mentionem fecit [2]), hunc librum non vidit, nihilominus

1) Petri Abaelardi Sic et Non, primum integrum ediderunt E. Henke et G. Lindenkohl. Marburgi 1851. 8.

2) Cf. epist. ejus ad Gaufridum et Bernardum in Opp. Bernardi ed. Mabillon I, 304: „Nuper incidi in lectionem cujusdam libelli hominis illius, cui titulus erat *Theologia Petri Abaelardi*. Fateor curiosum me fecit titulus ad legendum. Duo autem erant libelli idem paene continentes, nisi quod in altero plus in altero minus aliquando inveniretur etc. Sunt autem, ut audio, adhuc alia ejus opuscula, quorum nomina sunt *Sic et Non*, *Scito te ipsum* et alia quaedam, de quibus timeo ne sicut monstruosi sunt nominis sic etiam sint monstruosi dogmatis; sed sicut dicunt, oderunt lucem nec etiam quaesita inveniuntur".



infamare non haesitat. Haec suspicio et hic quasi horror, quem liber Sic et Non, cujus plures codices manu exarati extiterunt [1]), inde a prima origine jam titulo suo movebat, causa fuisse videtur, cur quamquam nullo tempore in oblivione tamen usque ad nostram aetatem in tenebris jaceret [2]).

Testimoniorum igitur paucitatem non est quod miremur, sed illud fortasse de libri authentia scrupulum nobis injiciat, quod Bernardus abbas, cui hoc opus sub titulo Sic et Non per Guilielmum erat notatum, nunquam ejus mentionem fecit, „sententiarum" autem librum saepius perstringit in epistolis suis, ubi Abaelardi scripta enumerat (Opp. I. pag. 181. 182. 185. 308. 656), qua de causa Mabillon hunc sententiarum librum eundem esse atque nostrum Sic et Non conjecit [3]). Sententiarum quidem vocabulum ante et post Abaelardum receptum erat in ejusmodi libris inscribendis atque a natura nostri operis nequaquam abhorrere videtur, quum ipse prologus (p. 17) „sententiarum collectionem" pronunciet. Sed et locus, quem Bernardus ex opere affert (epist. 190) et prima verba hujus tractatus sub titulo „sententiarum" divulgati, quae Gualterus refert [4]) et maxime illud Abaelardi testimonium, qui in apologia sua ullum librum hoc nomine a se conscriptum esse negat ideoque

1) Praeter codd. Abrincensem, Turonensem et Monacensem, qui jam sunt exscripti, ex Cavei hist. litt. scr. eccles. II, 205 duo codices in bibliothecis Angliae extare comperimus.

2) Dacherius „hoc opus serio examinatum aeternis tenebris potius, quam luce dignum de virorum eruditorum consilio existimavit". Cf. Thes. nov. anecdot. V. praef.; Hist. litt. de la France XII, 131.

3) Opp. Bernardi Tom. I. Not. p. LXVIII.

4) Bulaeus hist. univers. Paris. II, 200.

hoc contra se „per malitiam vel ignorantiam“ prolatum criminatur, satis aperte Bernardum in illis locis de nostro libro Sic et Non non loqui demonstrant [1]).

Nostri igitur libri authentia vix in dubium vocari potest. Auctor peritissimum variarum opinionum tunc et in theologia et in philosophia vigentium sese praestat, non solum in sanctorum patrum operibus, sed etiam in ceteris antiquitatis scriptoribus assidue versatum, ingeniosum et saepe audacem scripturae sacrae interpretem, et id quod Guilielmus conqueritur, „saepius censorem fidei, non discipulum, emendatorem, non imitatorem“ sese ostendit; non solum titulus Sic et Non Abaelardi ingenio eximie respondet, sed tota operis dispositio totusque ordo, nexus cum ceteris Abaelardi libris arctissimus, qui cum nostro libro saepe ad verbum etiam in mendis et erroribus consentiunt, de qua re infra pluribus dicemus, et permulta alia indicia affatim probant, Abaelardum hujus operis esse auctorem, ita ut etiamsi externa testimonia abessent conjectura vix alium augurari posses. Profecto extra omnem dubitationem est ponendum, quod liber Sic et Non ex Abaelardi manu prodierit, quod ipse Abaelardus hunc ingeniosum titulum libro indiderit [2]), quod ipse hunc librum publici juris fecerit [3]).

1) Quod attinet illum „sententiarum“ librum a Bernardo inter Abaelardi scripta enumeratum, ab ipso autem Abaelardo prorsus abnegatum, docti viri unanimiter fere nunc sibi persuasum habent, tale opus per discipulum auditoremve, qui materiam ex Abaelardi ore acceperit, literis esse mandatum, ita ut uterque et Bernardus abbas et Petrus magister verum professus sit, et fortasse illam „Abaelardi epitomen theologiae christianae“, a Rheinwaldo Berol. 1835 primum editam, fuisse librum „sententiarum“ a Bernardo impugnatum. Cf. de hac re Rémusat Abélard II, 244; Gieseler in ephem. Studien und Kritiken 1837. p. 337; Neander in vita S. Bernardi (edit. II. 1848.) p. 175 et 255.

2) „Hanc collectionem ipse Sic et Non appellavit“ (p. 71).

3) Cur Rémusat, qui librum genuinum habet, Abaelardum editorem addubitaverit (Abélard. I, 169; II, 171: „Le Oui et Non qui non fut peutêtre pas publié par son auteur“), causam non video. Etiam in prologo (p. 15.) Abaelardus ipse profitetur, se hoc opus composuisse, ut teneros *lectores* ad maximum inquirendae veritatis exercitium provocaret.



Finitima huic quaestioni altera de integritate libri Sic et Non esse videtur, de qua jam agamus.

Tres illi codices manu scripti, de quibus hucusque judicare possumus, Abrincensis, Turonensis, Monacensis, magna laborant discrepantia. Cod. Abrinc., qui continet CLVII quaestiones sive capitula, quorum Cousin, textui cod. Abrinc. saepius corruptissimo ex cod. Turon. quasi medelam allaturus, LXVIII exscripsit, et locorum et quaestionum copia multum superat Turonensem. Hic enim quamquam interdum puriori textu insignis, non solum permultos locos, sed etiam haud exiguum quaestionum numerum (quaest. IV. X. XX—XXII. XXV—XXXI. XXXIII. XXXIV. CXXXIX. CLII—CLVIII. totas, quaest. VIII. XV. XXXII. LXXV. CXXXVIII. ex parte) omittit; adde quod media quaestione CLI. textus ejus subito abruptus est. Monacensis unam quidem quaestionem (CXXVII.) prorsus novam solus exhibet, quatuor alias autem (CXL—CXLIII.) omittit. In utroque denique codice, Abrinc. et Monac., illud „Explicit“, quod completis operibus adscribi solebat, non legitur, et Monacensis dimidium ultimae paginae vacuum relinquit [1]).

Profecto, haud levia sunt, quae obstare videntur, quo-

1) Inter hos tres codd. majorem auctoritatem et primum locum Monac. mereri videtur. Adsunt in Monac. illud Gelasii papae decretum et excerpta retractationum Augustini, quae auctor se libro suo praescripsisse in prologo (p. 17.) profitetur. Quae in Abrinc. prorsus desiderantur; Turon. retractationum et Bedae Venerabilis excerpta habet, non vero Gelasii decretum. Locorum copia textuque emendate scripto Monac. etiam Abrincensem longe praecedit. Cf. Abaelardi Sic et Non, pag. 18. 19. 23. 27. 35. 36. 43. 46. 57. 62. 85. 152. Ouvr. inédits d'Abélard publiés par M. Victor Cousin, introd. p. CLXXXVIII.

minus hujus operis integritatem facile vindicemus. Sed respiciamus operis indolem atque naturam. Tali sententiarum inter se pugnantium collectioni certus finis imponi vix unquam potuit. Quis igitur dubitet, quin Abaelardus, qui „momentum aliquod praeterire sinebat minime, quin semper aut oraret aut legeret aut scriberet aut dictaret“, in laborum et studiorum suorum progressu novos quotidie locos prius collectis adjunxerit et ita quaestionum numerum in dies adauxerit? Quis auctor, librum suum denuo editurus, temperare sibi possit, quin novis additamentis et emendationibus eum adornet perfectioremque reddat? Quod quidem nostrum librum imperfectum mutilumque esse nequaquam demonstrat. Singulae enim quaestiones sine ullo hiatu cohaerere, sine ulla intermissione profluere videntur; omnes theologiae provinciae perlustrantur, et ultima quaestio, si disponenda omnia fuissent, aptiori loco explicari non potuit. Quae cum ita sint, mihi quidem verisimillimum esse videtur, hoc opus si non prorsus perfectum et absolutum eadem tamen forma integrum superesse, qua magister discipulis et lectoribus suis tradiderit.

Itaque non est quod dubitemus, librum Sic et Non eo quo extat modo ab Abaelardo conscriptum esse. Quid autem in eo exposuerit jam, quoad fieri poterit, ipsius verbis usi paucis describamus.

Prologus inde proficiscitur, quod in tanta verborum multitudine nonnulla etiam sanctorum dicta non solum ab invicem diversa sed etiam invicem adversa videantur, de quibus non temere sit judicandum. Cum jam juxta Tullium in omnibus identitas mater sit satietatis, illud quoque esse attendendum, quod multa ab hominibus intelligi non possint, multa in divinorum testamentorum et posteriorum patrum scriptis per ignorantiam scriptorum (librariorum) corrupta,



multa etiam ab ipsis sanctis patribus postea sint retractata, qui saepius etiam haereticorum pessimas opiniones ab ipsis summopere improbatas lectoribus referant. Non solum in sermone communi, in poëticis et philosophicis scripturis, sed etiam in evangelio nonnulla magis juxta hominum opinionem quam secundum rerum veritatem dici; illud porro esse discutiendum, ut secundum intentionum diversitatem diversitatis quaeramus remedium, ut distinguamus tempora dispensationumque causas, denique ut eadem verba in diversis significationibus a diversis auctoribus posita esse respiciamus. Si diligens lector his legibus controversias solvere non possit, potiorem auctoritatem potissimum esse retinendam. Sin autem etiam prophetas et apostolorum principem et patres ab errore non penitus fuisse constet alienos, esse cavendum, ne sanctos tanquam mendacii reos arguamus; aliud enim esse mentiri, aliud errare loquentem et a veritate in verbis per errorem, non per malitiam, recedere, cum dominus non tam ea quae fiant quam quo animo fiant attendat. Ipsos igitur ecclesiasticos doctores, si qua illis retractare non licuerit, posteris emendandi vel non sequendi licentiam concessisse, qua de causa hoc genus literarum non cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate sit legendum. At profiteri, quod scripturae canonicae veteris et novi testamenti, quibus indubitatam fidem conveniat adhibere, a veritate aliquid dissentiant, hoc esse haereticum [1]). Denique cum haec prima sapientiae clavis definiatur: assidua scilicet seu frequens interrogatio, cum dubitando ad inquisitionem veniamus, inquirendo veritatem

1) Hoc judicium Abaelardum non prohibuit, quin ex solius scripturae sacrae locis contrarietates conflaret. Cf. quaest. XXXIII. LXX. XCII. CXL. CLII.

perspiciamus, his de causis se hoc opus ex sanctorum [1]) dictis compilasse, rejectis tamen apocryphis libris sententiisque retractatis [2]).

Tunc sequuntur quaestiones CLVIII. Quarum I — III. rationem et fidem, intellectum et cognitionem perpendunt; quaestiones IV — XII. spectant ad trinitatis mysteria et Deum patrem, XIII — XXII. ad Filium, XXIII — XXIV. ad Spiritum sanctum, XXV — XXXIX. ad ceteras difficultates in doctrina de Deo occurrentes, XL — L. ad theophanias et angelos, LI — LVIII. ad primos parentes, LIX — XC. ad Christi personam, XCI — CV. ad apostolos aliosque sanctos in novo testamento commemoratos, CVI — CXVI. ad baptismum ejusque efficaciam, CXVII — CXXI. ad eucharistiam, CXXII — CXXXV. ad nuptias, CXXXVI — CLVIII. ad caritatem, ad liberum arbitrium et gratiam divinam, ad legem et evangelium, ad opera et justificationem, ad mendacium, ad capitis supplicium, ad mortem voluntariam, ad inbaptizatorum parvulorum poenas post mortem luendas.

Abaelardus igitur eundem fere ordinem secutus est, quem etiam nunc in theologia dogmatica conservamus, inter-

1) Quod Abaelardus in sanctorum patrum seriem etiam Aristotelem, Ciceronem, Senecam, Macrobium introducit, lectori scholasticae philosophiae perito mirum non videbitur. Ceterum in reliquis Abaelardi libris theologicis ethnicorum scriptorum dicta multo saepius laudantur quam in nostro libro.

2) Abaelardus Augustini „retractationes" adhibet, ut sententias Augustini veras cognoscat, non ut libros genuinos a spuriis suppositiisque distinguat; itaque etiam libri non retractati (et inter eos permulti Augustino suppositi) in hoc opere laudantur, ut: de caritate, de bono viduitatis, de disciplina ecclesiastica, de dono perseverantiae, de fide ad Petrum, tractatus contra quinque haereses, de misericordia, contra Maximinum, ad neophytos sermones, contra Parmenianum, de perfectione justitiae hominis, dialogus ad Petilianum, de poenitentia, quaestiones veteris et novae legis, dialogus LXV quaestionum, de singularitate clericorum, de conflictu vitiorum atque virtutum.



positis suo loco quaestionibus, quibus theologiae quasi orbem expleret. In singulis quaestionibus primum ea dicta apposuit, quae sententiam propositam confirmare, deinde ea quae ei contradicere videntur. Aliam artem vel legem non cognovimus in locorum dispositione, qui fortasse ita sunt congesti atque compositi, ut Abaelardus aut studio aut casu in eos incidit.

Forsitan aliquis putet, ex quaestionum titulis ipsius Abaelardi judicium esse cognoscendum? Accuratius exquisivimus, quid Abaelardo in Introductione, iu Theologia, in Ethica etc. placuerit de iisdem rebus, de quibus in nostris quaestionibus disseritur, sed eum modo τὸ Sic modo τὸ Non approbavisse invenimus, ita ut ex titulorum verbis haud pateat ipsius Abaelardi sententia.

Ecce insignis effatorum gravissimorum copia atque ubertas, problematum quaestionumque multitudo, quarum nonnullae quidem illas quoque nugas tangunt, quae medio aevo haud raro in deliciis habitae nostratibus plus risus quam luctus movere solent, permultae vero quaestiones ibi positae longe graviores etiam nunc in controversia quadam sunt et semp er fortasse erunt. Abaelardus tunc antiquarum et elegantiorum literarum experientia facile princeps, qui in libris suis magnam Ciceronis, Virgilii, Horatii, Ovidii, Valerii Maximi, Senecae, Persii, Lucani, Quintiliani, Boëthii, Macrobii prae se fert cognitionem, qui in philosophia omnium aequalium consensu tunc primum obtinuit locum, in hoc opere etiam sacrarum literarum peritissimum sese praestat, nam CCCVI libris et scriptis indagatis eorum quasi flores in hoc opere collegit. Sed caveamus, ne nimii simus in ejus admiratione. Aliquantum enim de his laudibus erit detrahendum. Cum saepius graeca et hebraica verba jactet Abaelardus, multi linguae graecae et hebraicae scientiam ei adjudicaverunt

Sed eum linguae hebraicae imperitum fuisse et nil fere nisi Hieronymi de hac re dicta novisse extra omnem dubitationem ponendum et in nostro quoque opere ex ea ratione cognoscendum videtur, qua Isidori locum (p. 140) excerpsit. Graecae vero linguae eum prorsus ignarum fuisse vix contenderim, quum permultorum graecorum vocabulorum notionem et etymologiam perspectam habeat, cujus rei plurima exempla in libris ejus invenias. At mittamus hanc rem a nostro consilio alienam; id vero certum est, Abaelardum scriptores graecos in hoc opere laudatos solummodo latine conversos legisse. Locos profert ex Amphilochii Icon. „vita Basilii," quam Cave nugivenduli cujusdam opus vocat; tunc ex Athanasii symbolo fidei, ex illo de trinitate tractatu, qui tantummodo latine extat [1]) et inter spuria recensetur; ex Clementis ad Iacobum epistolis, quarum versionem a decretalium fabris auctam in manu habuit [2]); Origenis quoque illa tantum scripta cognovisse videtur, quotquot latine habentur, et eandem sequitur versionem, quam in edd. Basil. 1536. 1545. 1571 legimus [3]); item loci ex Chrysostomo consentiunt cum versione in Frontonis Ducaei edd. exhibita [4]); denique ubi Eusebii historiam ecclesiasticam usurpavit, semper Rufini versionem exscripsit.

Sed etiam Latinorum patrum effata non semper e fonte hausit neque semper ad ipsos progressus est auctores, ita ut in hoc opere congerendo locorum haud exiguum numerum ex collectionibus peteret atque rem a majoribus jam paratam in suum usum converteret. Talium collectionum „sententiarum" nomine insigniri solitarum magnum fuisse numerum res est notissima. Quibus vero collectionibus usus sit Abaelardus, hujus rei inquisitio paene infinita eoque difficilior esse videtur, quum ejusmodi antiquorum dictorum collectiones typis nondum sint excusae neque erutae, sed maximam partem in umbris hucusque reconditae. Nihilominus huic rei lux quaedam affertur opera eorum qui in Gratiani decretum summo labore ac diligentia inquisiverunt. Abaelardus enim in permultis locis mirifice consentit cum Gratiano, quod explicari alio nullo modo potest, nisi statuendo Abaelardum et Gratianum eosdem locos ex eodem fonte, h. e. ex iisdem collectionibus hausisse. Quod enim quis forte disputare possit, Gratianum hoc Abaelardi opus ante oculos et in manu habuisse atque in rem suam convertisse, id propterea ferri non potest, quod Abaelardi liber saepissime locos in breviorem formam redactos habet, quam Gratiani decretum, et excerpta iterum quasi contracta et coartata. Gratianus vero recentiorum tantum et suo aevo proximorum opera et monumenta ipsa habuit, ipse legit, ipse excerpsit; longe plurimos imo omnes locos e patrum libris laudatos ex collectionibus compilavit atque conflavit [1]). Ita Abaelardus quoque excerpentis et colligentis vice et munere fungens non semper suo stabat judicio. Praesto enim erant non solum singulorum patrum dicta simul collecta et in unum caput conclusa, sicuti Abaelardus in libro suo non semel ex „Augustini dictis," ex „Hieronymi scriptis," ex „Ambrosii dictis de praedestinatione" nonnulla in medium profert, sed maxime de quaestionibus,

1) Opp. Paris. 1698. Tom. II, 602.

2) Cf. Sic et Non p. 319 et 409. — Merlini coll. conc. (Colon. 1530.) Tom. I. fol. VII. G; fol. III. E. — Patr. apost. opp. ed. Cotelerius, rep. Clericus. Amst. 1724. Tom. I. p. 613. cap. VII.

3) Commentarii in ep. ad Rom. translatio in ed. Basil. 1571. Tom. II. p. 457 Hieronymo, in nostro libro p. 233 Rufino tribuitur.

4) Cf. Sic et Non p. 182. Chrysost. opp. ed. Fronto Ducaeus Francof. a. M. 1698. Tom. II, 117.

1) Cf. Richter compend. jur. can. Lps. 1844. §. 72—73.

quae spectant ad jus canonicum, magnam locorum multitudinem jam a majoribus coacervatam accepit. Praesto ei haud dubie fuerunt quaedam „sententiarum“ collectiones e multis patrum libris congestae; sed ne nimium de Abaelardi meritis detrahamus jam illa res monere videtur, quod Noster a tritis viis ineundis abhorruit, quod hoc nostrum opus inauditum ante illud tempus et novum esse nullumque sui ipsius simile habuisse omnes conclamaverunt. Sicuti igitur studiosus et multum versatus erat in antiquis scriptoribus, ita jam juvenis propter dialecticam artem Augustinum diligentissime tractavit; deinde ubi ad theologiam profitendam progressus est, etiam Ambrosii, Augustini, Bedae, Cypriani, Gregorii, Hieronymi, Hilarii, Isidori ipsos libros adiit, minime vero in collectionum tantum usu acquievit. Ideoque locos longe plurimos ex ipsis patrum operibus hausit ipsosque patres ut proposito suo satisfaceret „compilavit,“ quod permultis et peculiaribus probatur indiciis. Ut paucis igitur dicam quod de hac re compertum habeo, Pseudoisidori collectionem inspexisse atque inde conciliorum canones et pontificum decreta arcessivisse videtur. Tum fortasse Burchardi collectio, haud dubie vero Ivonis „pannormia“ et „decretum“ Abaelardo ad manus fuerunt. Afferamus locos nonnullos in libro Sic et Non atque in Gratiani decreto indicatos, quos si quis accuratius comparare velit, de hac re non amplius dubitabit.

Convenit Abaelardus saepius cum Gratiano:

Sic et Non p. 291: „In illo sacramento“ — p. 292. „desperaverunt“; Gratiani Decr. cap. 85 — 92. Dist. II. de consecr.

Sic et Non p. 292: „Hoc est“ — p. 293 „fides est“; Decr. Grat. cap. 48. Dist. II. de cons.

Sic et Non p. 294; Decr. Grat. cap. 77. Dist. II. de cons.



Sic et Non p. 263; Decr. Grat. cap. 24 Dist. VI. de cons.

Locos magis in angustum cogit Abaelardus, quam Gratianus:

Sic et Non p. 269; Decr. Grat. cap. 32. Dist. IV. de cons.
„ „ „ „ 311; „ „ „ 27. „ II. „ „
„ „ „ „ 314; „ „ „ 6. „ XXXII.
„ „ „ „ 330; „ „ „ 3. „ XXVI.

Etiam in erroribus et mendis consentiunt Abaelardus et Gratianus:

Sic et Non p. 302; Decr. Grat. cap. 72. Dist. II. de cons.
„ „ „ „ 318; „ „ „ 52. „ I. „ „

Ultimus locus apud Abaelardum plenior est atque longior, cujus quidem rei exempla plurima obveniunt.

Itaque non dubitandum videtur, quin ejusmodi collectiones etiam Abaelardo patuerint.

Accedamus jam ad quaestionem de ratione, quae intercedat inter nostrum librum et inter cetera Abaelardi scripta, maxime theologica. Quamquam liber Sic et Non maximam partem ex patrum sententiis est compositus, ita ut Abaelardus praeter prologum et quaestionum titulos ex suopte nihil adderet ingenio, nihilominus magnam cognationem et consensum deprehendimus inter nostrum et ceteros Abaelardi libros theologicos. Mittamus leviores res, quod Abaelardus sententias ipsi ceterum gratissimas v. c. „identitas est mater satietatis“, „petite orando, quaerite disputando, pulsate rogando id est interrogando“ etc. in brevi illo prologo iisdem verbis repetierit [1]), sed omnes fere loci, quorum testimoniis alibi suam sententiam firmare studet, in nostro libro leguntur iique saepe prorsus eodem nexu, ita ut longa verborum series in Sic et Non plane consentiat cum

1) Cf. Opp. I, 626, 697; Sic et Non p. 2. 19.

Introductione, cum Theologia christiana [1]), atque ibi maxime ubi Abaelardus de quaestionibus in Sic et Non positis suam profert sententiam [2]). Etiam illi singulares loci, qui Abaelardi et vitam et scripta multum illustrant, quibus inimicos suos perturbavit, quibus novas quaestiones, novas opiniones superstruxit, novas dubitationes erroresve sibi aliisque persuasit, loci a Bernardo tam acerbe vituperati, in nostro opere habentur [3]). Multi quidem alii loci in ceteris libris inveniuntur, quos in nostro libro non legimus, sed in hac re memores simus, quod Abaelardus non tam ambiguos et leviores locos quam acutiores, aut Sic aut Non distincte professos hic congerere sibi proposuerat. Quae cum ita sint, nostrum opus Abaelardi armamentarium merito vocari potest, in quo quae tela et arma ad impugnandos adversarios et ad se contra eos defendendum aptissima ipsi videbantur, diligenter congesserat. Quae supra diximus, in Abaelardi Ethicam minus pertinere videntur; hoc enim opus, in quo Abaelardus vinculis alienae auctoritatis ruptis maxime suum ingenium suamque indolem sequi conatus est, multa continet ad novas controversias movendas aptissima, quas quidem in libro Sic et Non desideramus, quare viri docti Ethicam inter ultimos Abaelardi libros referre solent. At haec tetigisse sufficiat, ne quaestioni subsequenti materiam praecipiamus.

Nunc enim erit investigandum, quo circiter tempore

1) Cf. Sic et Non p. 90; Theologia christiana in Thes. nov. anecdot. V. p. 1357—1358. Sic et Non p. 253—254; Theol. p. 1233—1234. Sic et Non p. 417—420; Theol. p. 1221—1224.

2) Cf. Sic et Non quaest. XXXIII—XXXV; Theol. p. 1351—1354.

3) Locus ille, quo orationem dominicam emendare aut restituere voluit, etiam in Sic et Non legitur; cf. Opp. I, 621; Sic et Non p. 289. Deinde cf. Opp. I, 630; Sic et Non p. 69. Opp. I, 19; Sic et Non p. 15. Opp. I, 686; Sic et Non p. 232.



noster liber in publicum prodierit. De hac re Cousin judicium fecit [1]), ad quod Rémusat quoque accedit [2]), quod quidem minus recte disputatum esse videtur. Audiamus argumenta, quibus Cousin opinionem suam probare studet.

Librum Sic et Non inter opera theologica primum ab Abaelardo esse conscriptum contendit. Quicunque enim ceteros ejus libros conferre voluerit cum nostro, quaestiones in nostro motas in illis conspicere solutas. Tales igitur solutas quaestiones iterum propositas in disceptationem revocare, rem fuisse inanem neque Abaelardo neque aliis fructuosam. Tironis esse aliorum sententias colligere et hoc modo materiam scribendi sibi comparare, prorsus vero indignum scholarum principe et quasi heroe. Cum igitur Abaelardum hic compilatoris partes agere videamus, hoc illo tantum tempore fieri potuisse, quo res et in scholis et in libris ab ipso tractandas praeparaverit. Priusquam igitur trinitatis mysteria suis commentariis interpretatus sit, priusquam scholam theologicam aperuerit atque de literis sanctis exposuerit, hac collectione viam sibi munire voluisse Abaelardum, quam collectionem in ipsius magistri usum comparatam nullo tempore ad alios multos pervenisse mirum non esse habendum. Itaque hoc opus multo ante concilium Suessionense atque circiter anno 1115, quo Lauduno reversus „et sacrae et philosophicae lectionis studio scholas vehementer multiplicatas habuerit Parisiis“ [3]), esse conscriptum.

Quibus argumentis ut uberius contradicamus, non tam ipsorum pondus, quam viri cui satisfecerunt gravitas mereri videtur.

1) Ouvr. inéd. d'Abélard publiés par M. Victor Cousin. Introd. p. CXCIV — CXCVI.

2) Rémusat Abélard II, 177.

3) Opp. Abaelardi I, 9.

Et primum quidem, quod neque Abaelardo neque aliis fructuosum fuerit ad quaestiones jam solutas denuo redire: in hac re intueamur et Abaelardi et illius aetatis indolem atque rationem. In hoc opere venerunt in quaestionem res, quae illo saeculo arduae, scrupulosae difficillimaeque esse videbantur, omnes illi nodi, in quibus expediendis tam multi viri doctissimi, acutissimi, sagacissimi ab Ario usque ad nostra tempora et dignitatis et libertatis et vitae et salutis jacturam detrimentumve fecerunt. Magistro Petro indignum videri non potuit, qui scopulos illos, in quibus tot tantique viri naufragium fecerant, praetervehi conaretur, neque Abaelardo, in cujus castra quotannis discipulorum auditorumve cohortes semper novae ad stipendia merenda confluebant, his inquisitionibus supersedere licuit. „Quae quanto sublimiores videbantur inquisitiones, tanto difficiliores ad solvendum et ad perturbandam fidei simplicitatem faciliores inveniebantur, ad quas itaque dissolvendas Abaelardum sufficere arbitrantes unanimiter postulabant, ne talentum a Domino commissum multiplicare differret.“ (Prologus Introd. in theol.). Qui tunc temporis theologiam profiteri suscepit, multo minus quam nostra aetate suo ingenio indulgere potuit, sed sententias per patres traditas, a papis conciliisque sancitas amplecti debebat. Hanc igitur materiam parare, hanc collectionem ex CCCVI libris congerere non erat tironis, sed multi magnique sudoris atque laboris.

Abaelardus juvenis hanc rem neglexit, vir praetermissa compensavit diligentia et assiduitate; tiro suis viribus, suo soli ingenio confisus est, triarius ex patrum sententiis arma sibi paravit. Iuvenis enim in arte dialectica versatissimus, disputator maxime timendus brevi satis tempore

1) Opp. Abaelardi I, 9.



perdidicerat Aristotelis Organon, Platonis Timaeum, Porphyrii Introductionem in categorias, Augustini Dialecticam, ex quibus tunc ars dialectica texebatur, et mox non solum aemulos, sed etiam suos magistros omnes deinceps prostravit. Quibus victoriis exultans etiam theologiam aggressus est. Notissima est illa audacia, qua literarum sacrarum scholam aperuit [1]). Persecutione magistri Anselmi Laudunensis re-

1) Apponamus ipsius Abaelardi verba, quibus haud male praeparationem describit in literis sacris docendis tunc (a. 1115) ab eo adhibitam, Opp. I, 7:

„Reversus sum in Franciam, maxime ut de Divinitate addiscerem, quando jam saepe fatus magister noster Guilielmus in episcopatu catalaunensi pollebat. In hac autem lectione magister ejus Anselmus laudunensis maxime ex antiquitate auctoritatem tunc tenebat. Accessi igitur ad hunc senem, cui magis longaevus usus, quam ingenium vel memoria nomen comparaverat. Ad quem si quis de aliqua quaestione pulsandum accederet incertus, redibat incertior. Mirabilis quidem erat in oculis auscultantium, sed nullus in conspectu quaestionantium. Verborum usum habebat mirabilem, sed sensu contemptibilem et ratione vacuum. Quum ignem accenderet, domum suam fumo implebat, non luce illustrabat. Arbor ejus tota in foliis aspicientibus a longe conspicua videbatur, sed propinquantibus et diligentius intuentibus infructuosa reperiebatur. Ad hanc itaque quum accessissem ut fructum inde colligerem, deprehendi illam esse ficulneam cui maledixit Dominus, seu illam veterem quercum, cui Pompeium Lucanus comparat dicens:

Stat magni nominis umbra
Qualis frugifero quercus sublimis in agro.

Hoc igitur comperto, non multis diebus in umbra ejus otiosa jacui. Paulatim vero me jam rarius et rarius ad lectiones ejus accedente, quidam tunc inter discipulos ejus eminentes graviter id ferebant, quasi tanti magistri contemtor fierem. Proinde illum quoque adversum me latenter commoventes pravis suggestionibus ei me invidiosum fecerunt. Accidit autem quadam die, ut post aliquas sententiarum collationes nos scholares invicem jocaremur. Ubi quum me quidam animo intentans interrogavisset, quid mihi de divinorum lectione librorum videretur, qui nondum nisi in physicis studueram, respondi saluberrimum quidem hujus lectionis esse studium, ubi salus animae cognoscitur, sed me vehementer mirari, quod his, qui literati sunt, ad expositiones sanctorum intelligendas ipsa eorum scripta vel glosae non sufficiant, ut alio scilicet non egeant magisterio. Irridentes plurimi qui aderant, an hoc ego possem et aggredi praesumerem, requisierunt. Respondi me id si vellent experiri paratum esse. Tunc conclamantes et amplius irridentes: Certe, inquiunt, et nos assentimus. Quaeratur itaque

pulsus Parisiis glosas suas Lauduni ab ipso legi coeptas perfecit, et licet veniam aliquam theologiae docendae ab ullo promotore rite non esset adeptus, sed ultro sibi vindicasset, tamen etiam in hac sacra lectione non minorem mox gratiam nactus est quam in philosophica. Inde a primo initio ad ipsum fidei fundamentum humanae rationis similitudinibus disserendum sese applicavit, nam „quanto earum quaestionum major extiterat gravitas, tanto solutionis earum censebatur major subtilitas," in qua re dialecticam suam artem optime potuerat adhibere neque insudandum ei erat patribus perscrutandis.

Cousin has collectiones libri Sic et Non prorsus necessarias fuisse arbitratus, antequam Introductionem Abaelardus scriberet, de tempore quo scriptus sit liber Sic et Non hoc modo certiores nos fieri credit, quum seriori demum tempore Introductionem scriptam esse inde colligendum sit. Hoc enim pro certo habet, Introductionem esse illum librum, qui a Suessionensi concilio concrematus fuerit. Cui opinioni multa obstant, de quibus postea nonnulla disseramus. Sed ponamus Introductionem revera esse illum tractatum de

et tradatur vobis expositor alicujus inusitatae scripturae, et probamus quod vos promittitis. Et consenserunt omnes in obscurissima Ezechielis prophetia. Assumpto itaque expositore statim in crastino eos ad lectionem invitavi. Qui invito mihi consilium dantes dicebant ad rem tantam non esse properandum, sed diutius in expositione rimanda et firmanda mihi hanc inexperto vigilandum. Indignatus autem respondi non esse meae consuetudinis per usum proficere, sed per ingenium; atque adjeci vel me penitus desiturum esse, vel eos pro arbitrio meo ad lectionem accedere non differre. Et primae quidem lectioni nostrae pauci tunc interfuere, quod ridiculum omnibus videretur me adhuc quasi penitus sacrae lectionis expertem id tam propere aggredi. Omnibus tamen qui affuerunt in tantum lectio illa grata extitit, ut eam singulari praeconio extollerent et me secundum hunc nostrae lectionis tenorem ad glosandum compellerent. Quo quidem audito ei qui non interfuerant coeperunt ad secundam et tertiam lectionem certatim accedere et omnes pariter de transcribendis glosis, quas prima die incoeperam, in ipso eorum initio plurimum solliciti esse."



trinitate, nunquam vero inde efficitur, nostrum librum antea fuisse compositum. Primum enim cur quas jam in Introductione expediverit quaestiones denuo in libro Sic et Non tractare non possit, nemo intelligit. Nonne necessarium fuit Abaelardo, qui omnia theologiae problemata patrumque de iis effata colligere atque totum theologiae quasi orbem emetiri voluerit, ut in hoc opere etiam paucarum illarum quaestionum, quas in isto libello tractaverat, materiam et apparatum iterum proferret itaque opus perfectum et quasi absolutum traderet? Nonne hoc ad ipsius defensionem fuit necessarium, cui inimici illarum quaestionum solutiones opprobrio fecerant, nonne hac re aperte demonstravit, problemata inesse theologiae, quae solutionem ab ipso susceptam requirerent? Omnino a repetitione minime abhorret Abaelardus; Introductio, Theologia christiana, Comment. ep. ad Roman. magnam partem ad verbum consentiunt, in omnibus ejus scriptis theologicis saepissime prorsus earundem sententiarum longa series iteratur.

Cousin Invectiva (Opp. I, 695) prologo nostro simillima esse dicit. Num hoc opusculum jam anno 1115 conscriptum sit, in medio relinquamus; sed quaero, num tres loci, quorum unus in prologo, duo in quaest. I. nostri operis leguntur iidemque in Invectivis, similitudinem in Abaelardi libris indicare possint? Imo magis dissentiunt, quam consentiunt. In Invectivis alto cum supercilio et mira confidentia vehementissime invehitur in adversarium, in nostro libro magnam prae se fert modestiam, prudentiam, paene timiditatem, quam homo haereseos dedecore notatus et damnatus vix exuere potest.

Nulla igitur causa superest, cur nostrum librum ante Introductionem vulgatum statuamus, imo permulta obstant, quo minus eum jam anno 1115 scriptum esse credamus.

Nunquam negare volui Abaelardum ante Suessionense concilium patrum scripta cognovisse et tractasse; Augustinum, id quod aliunde compertum habemus, jam juvenis lectitavit propter artem dialecticam, sed aliud est incipere, aliud perficere, aliud est unam theologiae provinciam eamque dialecticae arti proximam pervestigare, aliud omnes theologiae partes, omnem ejus ambitum expedire et absolvere. Nostra enim collectio non solum ad quaestiones de trinitate arti dialecticae finitimas spectavit, sed omnes theologiae partes, etiam inaccessas ante Abaelardum non paucas tetigit. Non obliti sumus, ut supra ostendimus, Abaelardum a majoribus multas res praeparatas accepisse, sed in plurimis rebus ipse ad fontem descendit, ipse CCCVI veterum opera perlustravit, materiam paravit, quae consilio proposito inserviret. Vitam ejus usque ad annum 1115 peractam mente percurrens nullum tempus invenio, quo tantas res moliri potuerit; primum hujus rei suscipiendae tempus atque otium in asylo monasterii S. Dionysii nactus esse videtur (a. 1119). Ipse dicit se usque ad a. 1115 nondum nisi in physicis studuisse (Opp. I, 7) et in illa abbatia plurimum sacrae lectioni studium intendisse, quum antea saecularibus artibus amplius assuetus fuerit [1]). Hujus rei alius porro testis adest, Roscelinus ille Nominalium antesignanus et quondam Petri Abaelardi magister, qui Abaelardi opusculum „de fide sanctae

1) Opp. I, 17: „Ubi, quod professioni meae convenientius erat, sacrae plurimum lecttioni studium intendens, secularium artium disciplinam, quibus amplius assuetus fueram, et quas a me plurimum requirebant, non penitus abjeci, sed de his quasi hamum quemdam fabricavi, quo illos philosophico sapore inescatos ad verae philosophiae lectionem attraherem, sicut et summum christianorum philosophorum Origenem consuevisse Historia meminit Ecclesiastica. Quum autem in divina scriptura non minorem mihi gratiam quam in seculari Dominus contulisse videretur, coeperunt admodum ex utraque lectione scholae nostrae multiplicari, et ceterae omnes vehementer attenuari."



trinitatis" legerat et quasdam haereses illi insertas monstrare voluerat. Abaelardus ut talem criminationem praeveniret, antea ipse in Roscelinum impetum fecit. Roscelinus ad haec respondit epistola mordacissima, in qua ille veteranus haud levia convicia et sugillationes contra eum faciens sese Abaelardo longe praestantiorem patrum lectione probavit. „Si igitur apud istos, inquit, quos impudenter me persequi declamasti, aliquid sacrae scripturae contrarium reperimus, cur miraris in dictis tuis aliquid reprehendi potuisse, cum te in sacrae scripturae eruditione manifestum sit nullatenus laborasse. Huic enim singularitati, quam divinae substantiae tribuisti, sanctorum patrum Ambrosii, Augustini, Isidori scripta nequaquam consentiunt. Quae collecta ideo subjicere curavi, ut non ex mea sed ex auctoritate divina, quod mihi tenendum est, roboretur [1])." Multos tunc locos profert, quos Abaelardus ignorantia sua praeterierit, quos igitur in illo opusculo „de fide st. trinitatis" non invenit, quorum in nostro quidem opere multi leguntur [2]). Tunc igitur (a. 1121) Roscelinus habuit, quod Abaelardum probris insectaretur, quae post nostri operis editionem nullomodo illi potuit intentare.

Omnino haud probabile videtur, hoc opus inter Abaelardi libros „maria transeuntes Alpesque transsilientes" paene gravissimum, inimicis ejus inprimis suspectum et ipsi auctori exitiosum ab anno 1115 usque ad annum 1140, si jam extitisset, nunquam prodiisse nec ab ipso Abaelardo in multis opusculis neque a discipulis neque ab inimicis unquam citatum esse.

1) Neque Cousin neque Rémusat legere potuerunt hanc epistolam Abaelardi vitam multimodis illustrantem et primum editam a Schmellero in Commentatt. acad. Monac. Vol. V. pag. 193. 1847.

2) Cf. Sic et Non pag. 31. 40. 51; epist. Roscel. p. 199. 200 etc.

Denique in ipso opere nonnulla vestigia deprehendimus, quae Cousinii opinioni repugnent. Verisimile videtur, quod Abaelardus Burchardi collectionem, probabilius etiam quod Ivonis „decretum“ et „pannormiam“ ad manum habuerit in hoc opere colligendo. Burchardum post annum 1112 suam collectionem edidisse doctis viris nunc est exploratissimum. Ivo Burchardum secutus opera sua perfecit, unde sequitur Abaelardum anno 1115 illorum opera adhibere nondum potuisse. Porro ex Ivonis epistolis duas laudat (p. 331 et p. 354), alteram quidem a sene Ivone conscriptam. Ivo mortuus est anno 1125; hunc vivum in sanctis ab Abaelardo nominari? viventis epistolas inter sanctorum dicta (cf. p. 17) laudari? quis putet! Denique Abaelardus in prologo (p. 16) alloquitur „teneros lectores“; illa quidem aetate permulti cupiditate discendi flagrantes plus decem annis inter cives academicos versabantur, persaepe e Minervae castris statim in Pachomii migrabant. Hos viros Abaelardus anno 1115, h. e. ipse vix triginta sex annos natus, „teneros lectores“ vocare non potuit.

Inde patet, quod Abaelardus hoc opus anno 1115 nullo pacto edere potuerit. Si autem quaerimus, quo circiter tempore hic liber conscriptus sit, cavendum est, ne cum Cousinio collectionis et editionis tempus confundamus. Illud opusculum „de fide st. trinitatis“, illi libelli Theologiae christianae et Introductionis in theologiam brevi fortasse tempore compositi sunt; non ita haec nostra collectio, in qua loci de gravissimis quaestionibus problematibusque in theologia tunc disputatis sunt congesti, quae LXVI scriptorum floribus decerptis patrum quasi anthologiam nobis offert. Hoc vero non erat tironis, sed magistri et opificis suae artis peritissimi; non unius anni, sed multi magnique sudoris atque laboris. Itaque neque anno 1121 hoc opus componere



potuit; unde Abaelardo ante hunc annum aut amoribus aut rixis vexationibusque implicato et industria inimicorum fatigato tantum otium erat nanciscendum? Multa porro indicia probare videntur, quod nostrum opus post Suessionense concilium fuerit compositum. Ibi adversarii contra Abaelardum patrum auctoritatem appellaverunt neque recordatione libri Sic et Non erant perturbati. Abaelardus jam tunc adversarium auctoritate Augustini refutavit, sed anxietate quadam illum locum insignem quaesivit [1]), qui tamen in quaestione XV. primum agmen ducit et princeps est. Ad concilium Suessionense multa in nostro libro respicere videntur. Caussati erant, Abaelardum sine licentia et approbatione summi pontificis edidisse librum theologicum; in nostri igitur operis fronte illud Gelasii papae decretum posuit, quo omnes libri approbati erant, ex quibus Sic et Non erat conflatum. Trinitatis mysteria rationibus dialecticis explicans maximum contra sese concitaverat odium; contra hoc crimen ipsius Augustini verbis (Sic et Non pag. X. not. 7) sese defendit et Augustini laudibus (pag. XI. not. 8) rem suam commendavit. Objurgabant, quod ex dialectica novos errores disseminaret; eosdem in patrum sententiis ab omnibus receptis atque probatis inveniri hoc opere ostendit. Roscelinus in epistola (a. 1121) supra laudata Abaelardi inscitiam acerbissime vituperaverat, adversariique objecerant, quod sine magistro ad magisterium divinae lectionis accedere auderet; hoc ergo libro Sic et Non pejora expertus qui „pacem volebat, bellum paravit“, admirabilis eruditionis molem exstruxit, hac arce, hoc armamentario contra pericula atque calumnias sese munivit.

1) Opp. I, 19: „Et voluntas Dei fuit, ut cito occurreret mihi quod volebam. Erat autem sententia intitulata: *Augustinus de trinitate lib. I:* Qui putat ejus potentiae“ etc.

Abaelardus, cui Suessionense concilium haereseos notam inusserat, omne cautionis genus rei suae adhibuit, etiam retractationum Augustini excerpta operi suo adjunxit, ut in tuto sese collocaret; idem libro suo concremato inustus dolore acerbissimo ita ultionem petivit, ut telis ex adversariorum castris arcessitis gravissima iis infligeret vulnera. Eadem haereseos labe adspersus ac Roscelinus ex ejus epistola discere potuit, unde sint arma petenda et quomodo dimicandum. Suessionensi igitur concilio prima hujus operis cogitatio atque consilium Abaelardi animum subiisse videtur, cui multo seriori demum tempore satisfecit. Unde factum esse videtur, ut et singuli loci in hoc opere crebro sint iterati et inter quaestiones saepe magna intercedat similitudo, ut omnia fere Abaelardi scripta theologica in hoc opere resonent, omnes loci illustres, quibus Abaelardus unquam usus est, hic in unum quasi corpus redacti habeantur. Itaque commode et summo jure liber Sic et Non clavis theologiae Abaelardeae vocari potest.

Quo vero tempore nostrum opus sit absolutum, hoc propter testimoniorum tenuitatem et internorum et externorum in dubio quodam erit relinquendum. Haud me fugit, quod comparatio inter Sic et Non et inter ceteros libros instituta huic rei lumen afferre possit, sed nequaquam satis jam est exploratum, quo ordine et tempore singuli libri sint conscripti. De ipsa Introductione haud leves restant difficultates. Quum enim multi ex erroribus a concilio Suessionensi vituperatis in Introductione legantur, plerique viri docti eam ante a. 1121 conscriptam atque eundem librum fuisse putant atque illum librum anno 1121 publice combustum. Quam opinionem vulgarem haud amplectar. Illi enim errores in omnibus fere Abaelardi libris theologicis inveniri possunt. Ipse autem Abaelardus (Opp. I, 18)



illum librum vocat „tractatum de unitate et trinitate divina“, in epistola ad Parisiacae sedis episcopum contra Roscelinum scripta „opusculum de fide st. trinitatis“. In commentario ep. ad Rom. plus semel lectoribus Introductionem allegat; num librum publice damnatum atque combustum talimodo laudare licuit? Denique Roscelini judicium in ejus epistola jam saepius laudata nobis traditum male convenit Introductioni. Quibus de causis Introductionem ante annum 1121 ponendam esse vix contendam.

Expositio in Hexaëmeron porro (Opp. I, 625) multis nostri operis quaestionibus proxima apparet. Maurini editores Hexaëmeron post reconciliationem cum S. Bernardo ab Abaelardo jam Cluniacensi monacho susceptum fuisse conjiciunt, quia referens illam philosophorum sententiam de anima mundi, stellarum et planetarum non amplius interpretatus sit illam de spiritu sancto, ut in Theologia (Martène p. 1176. 1187) fecerit. Cujus opinionis etiam in Sic et Non libro, ubi eadem res tractatur (quaest. XXIII.) nulla vestigia deprendimus. Sed haec minus valent; illud de spiritu sancto placitum, quod nunquam fortasse ex animo amplectebatur (cf. Ouvr. inéd. d'Abélard. p. 475), jam ante concilium Senonense (a. 1140) mutavisse et abjecisse potuerat. Deinde animadvertamus, quod Hexaëmeron scripsit, ut Heloissae postulanti et supplicanti satisfaceret et filiabus spiritualibus debitum persolveret. Discipuli aegre ferebant pristinorum recitatorem inventorum atque ex usu prolata lamentati sunt magna cum moestitia et gemitu (Opp. I, 11), sed in libris ad Heloissam scriptis, quibus sanctitatem alere salubriterque monere voluit, nunquam sese fidei illum severum censorem probavit, nimiamque fugit vel in opinando vel in interpretando audaciam. Deinde illo tempore in Cluniacensi monasterio peracto (a. 1140—1143) tot malis

expugnatus, tot miseriis oppressus morboque vexatus nec otium nec licentiam habuit, ut sacram scripturam virginibus sacris explicaret. Accedit quod in illo Cluniacensis monasterii refugio commercium, quod prius cum Heloissa habuit, intermissum esse videtur [1]).

Deinde Heloissae problemata XLII et Abaelardi solutiones cum nostri libri quaestionibus similitudinem quandam habent; ii praecipue loci, quibus Abaelardus solutiones confirmat, omnes fere in libro Sic et Non obveniunt. Id certe primo intuitu apparet, Heloissam, quae quaestionibus tam levibus commovebatur et angebatur, nostri operis contrarietates et dissidia non cognovisse; sed hoc non sufficere, ut librum Sic et Non post problemata editum fuisse conjiciamus, jam supra diximus. Imo contrarium colligi potest ex comparatione inter problema V. et quaest. LXXXV. instituta. Ibi enim Heloissa statum controversiae multo melius descripsit atque detexit, locorum majorem copiam affert, quam Abaelardus de eadem re, ita ut jure quodam suspiceris, Abaelardum ante problemata Heloissae accepta et ab ipso soluta librum Sic et Non edidisse. Sed ne levioribus rebus nimium momenti tribuamus, concedendum est, Abaelardum negligentia quadam hanc rem facillime praeterire potuisse.

Parimodo omnes fere Abaelardi libri theologici, epistolae, sermones cum nostro ita cohaerent, ut loci iis inserti etiam in libro Sic et Non legantur. Omnibus igitur perpensis argumentis id tantummodo stat, quod inter permulta alia scripta etiam nostrum opus illo decennio perfectum atque absolutum sit, quo Abaelardi ingenium scribendo feracissimum et uberrimum maxime elucebat, quo S. Gildasii mona-

1) Cf. Epist. Petri Cluniac. ad Heloissam in Opp. Abael. I, 710.



sterio ob insidias perversorum monachorum relicto et asylum nobis haud satis exploratum et otium necessarium ad tot tantaque opera exstruenda (a. 1130—1140) nactus est.

Denique ut hoc quoque definire conemur, quo anno hanc collectionem publici juris fecerit lectoribusque tradiderit, equidem illud tempus post annum 1137 statuendum esse putem. Illo enim anno aut voluntarius atque fessus perpetuis vexationibus rixisque, aut coactus ab adversariis, qui semper in id incubuerant, ut publice docendi facultas munusve ipsi adimeretur, invidentes Abaelardo gloriam atque applausum, e magisterio discessisse [1]) atque scholarum et studiorum tumultus dimisisse videtur [2]). Tunc fortasse, ubi scholae ipsi erant clausae, amatissimis suis discipulis tenerisque lectoribus hunc librum et in eo fructum diuturnorum studiorum tradidit, ut quod ore pronunciare prohibitus erat, calamo efficeret. Cui convenire videtur, quod hoc enchiridio et apparatu tunc temporis optime carere potuit, ubi publice docendi munere sese abdicaverat.

Restat ut de consilio, quod Abaelardus hoc edendo libro secutus sit, nonnulla dicamus.

Ipse Abaelardus in prologo (p. 16) haec sanctorum dicta se collegisse profitetur, „quae teneros lectores ad maximum inquirendae veritatis exercitium provocent et

1) Ioannes Sarisberiensis Metalog. lib. II. cap. X: „Quum primum adolescens admodum studiorum causa migrassem in Gallias, anno altero postquam illustris rex Anglorum Henricus, Leo justitiae, rebus excessit humanis, contuli me ad Peripateticum Palatinum, qui tunc in monte sanctae Genovefae clarus doctor et admirabilis omnibus praesidebat. Ibi ad pedes ejus prima artis hujus rudimenta accepi et pro modulo ingenioli mei, quicquid excidebat ab ore ejus, tota mentis aviditate excipiebam. Deinde post discessum ejus, qui mihi praeproperus visus est, adhaesi magistro Alberico“ etc.

2) Cf. Epist. Petri Cluniac. ad Innocentium II. papam in Opp. Abael. I, 709.

acutiores ex inquisitione reddant". Profecto Abaelardus, qui ingenium alacre et promtum, antiquarum literarum et bonarum artium amorem, novarum rerum studium magistris quodammodo necessarium, veri cognoscendi cupiditatem nunquam exuit, qui quae magistrum decent virtutibus abundavit, qui totus erat in scholis atque ita in docendi munere vivebat, ut discipulos et asseclas permultos, amicum nullum sibi conciliare posset [1]), qui vel senex discipulos mirum in modum allicere et devincire valuit: hic ergo magister praecipue suis discipulis amatissimis hoc opus commendatum et dedicatum esse voluit. Attamen eum non solum „teneros" sed etiam graviores lectores imo acerbos et severos judices spectavisse, praeter prologi verba docet apparatus operi praefixus, nimirum decretum Gelasii dictum, excerpta retractationum, laudes Augustini dialectici, quippe qui eidem rei atque Abaelardus operam dederit. Vix enim amplectar illam vulgarem opinionem, quam ope tituli inauditi Maurini monachi plurimis persuaserunt, quod hoc opere quam plurimos provocare et lacessere, imo res divinas obscurare et evertere voluerit Abaelardus, utpote qui dissidiis inter ipsos theologos concitatis eorum aciem perrumpere, atque dogmatum phalangem intestina discordia disjicere, et hoc modo ipsam theologiae arcem funditus evertere, et super has ruinas suae artis h. e. dialecticae solium exstruere, summamque dignitatem summumque splendorem ei vindicare studuerit. Qui ita sentiunt, judices multo iniquiores sunt ipso sancto „zelotypo" Bernardo. Haud quidem desunt in Abaelardi libris audacter temerarieque dicta, haud desunt leves ac saepe malae opiniones, saepe summos ecclesiae antistites neglexit atque contemsit; sed legas epistolas, sermones,

1) Ritter hist. philos. VII, 405.



fidei confessiones, quibus diffidere non licet, quum Abaelardus omnem simulationis speciem detestatus sit, ut aequa lance judicare possis. Immerito nonnulli Abaelardo atheismi vel pantheismi notam inurere voluerunt; si inter varias doctorum familias nostro aevo superstites quaerimus, ad quamnam Abaelardum referamus, Cousinii recto judicio assentiendum erit, qui inter rationalistas, qui hodie dicuntur, et inter Abaelardum maximam similitudinem intercedere bene disputavit. Pro humanae rationis dignitate et jure Abaelardus omnibus viribus propugnat, rationibus humanis omnia „adstruere" vult, hanc artem atque sese artificem commendare et praedicare sibi proposuit. Contra prophetae verba Bernardo gratissima: „nisi credideritis, non intelligetis" hanc sententiam Siracidae saepe laudavit: „qui credit cito, levis est corde"; contra adversariorum lucifugorum ruditatem atque barbariem res humanas defendere voluit, et quamquam vix umbram, non lucem et splendorem graecae antiquitatis conspexerat, satis tamen cognovit, antiquitatem Graecorum non fuisse abjectum paganismum; sed his gentilium elogiis S. Bernardum, cui nimiae et dignitati Christi contrariae videbantur, non leviter offendit [1]). Contra artis dialecticae contemtores demonstravit, hanc esse ejus vim et efficaciam, ut obscurae res et incertae ad dialecticas leges vocatae fierent perspicuae atque expeditae. „Superfluam esse verborum prolationem, quam intelligentia non sequatur, nec credi posse aliquid nisi primitus intellectum, et ridiculosum esse aliquem aliis praedicare, quod nec ipse nec illi quos doceat intellectu capere possint, domino ipso arguente, quod coeci sint duces coecorum", ita discipulos suos loquentes facit

1) Bernardi opp. I, 656: „Dum multum sudat, quomodo Platonem faciat Christianum, se probat ethnicum."

(Opp. I, 18). Hac intelligendi et demonstrandi cupiditate ita se abripi passus est, ut trinitatis mysteria imagine arte statuarii confecta oculis subjicere auderet [1]). Haereticos abhorret et detestatur; sed illum proclamat haereticum, qui per malitiam falsa dogmata profiteatur; ipse dogmata non facere sed intelligere assensuique commendatiora reddere voluit. Paulo apostolo hortanti, ut omnem intellectum obsequio Christi captivum subjiciamus, non semper satisfecit; nihilominus vero se bonum certamen certare sibi persuasum habuit, se rectum bonumque voluisse sibi conscius erat. „Odiosum me mundo reddidit logica etc.; nolo sic esse philosophus, ut recalcitrem Paulo, non sic esse Aristoteles, ut secludar a Christo" ad Heloissam scribit (Opp. I, 680). Nunquam vero illas palinodias canebat, quas adversarii semper poscebant; placita sua esse aut consulto corrupta et per malitiam in pejus mutata aut per ignorantiam non recte intellecta demonstravit. Si igitur pii sanctique viri gemuerunt, quod Abaelardus habitu mutato cor nunquam mutaverit, ne obliviscamur, Abaelardum etiam errantem bona quadam fide errasse, ne despiciamus illam virtutem et fortitudinem, qua pro sua arte tot pericula subiit tantasque calamitates pertulit. Quibus omnibus si nostrum librum comparamus, vix credo Abaelardum de summis fidei Christianae articulis dubitavisse suamque dubitationem hoc opere lectoribus instillare voluisse. Istam malitiam et malignitatem, quae alienis malis gaudet et ex alterius angustiis voluptatem capit, in Abaelardo non video; dubitationes et difficultates hoc opere in medium prolatae arti eas solvendi inservire, contrarietates patrum sanctorum hanc artem et ipsum artificem commendare debebant; hoc modo magis rebus quam verbis defensionem sibi parare

1) Opp. I, 63; Remusat Abélard I, 109.



studuit. Quam meliorem de viro et opere ejus existimationem laetioremque Abaelardi et libri imaginem diligens hujus operis lectio animo meo informavit.

Denique nobis fortasse inquirendum erat, quem usum et auctoritatem liber Sic et Non apud „doctores sententiarios" habuerit, praecipue apud Petrum Lombardum, qui discipulus Abaelardum audivit et librum Sic et Non breviarium suum vocavit (Thes. nov. anecdot. Tom. V. 1666; Remusat Abélard II, 170); sed tam virium quam temporis angustiae me in hanc rem inquirere nunc vetant. Ut igitur huic tenui libello approbatio quaedam non desit, ut doctissimi viri, quos Abaelardi vitam et doctrinam nunc perscrutari compertum habeo, laborem in libro Sic et Non eruendo consumtum, qui saepe oculos meos animumque fatigavit, non prorsus perditum esse censeant, hoc est in summis meis votis, quae Deus rata esse jubeat.

Scribebam die V. mensis Maii anni MDCCCLI.